

2002 TSJCL Sight Recitation Level III

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Numquam sum magis dē occupātiōnibus meis questus, quae
mē nōn sunt passae aut proficiscentem tē valētūdinis causā in
Campāniam prosequī aut profectam ē vēstigiō subsequī. Nunc
enim praecipuē simul esse cupiēbam, ut oculis meis crēderem
5 quid vīribus, quid corpusculō apparārēs, ecquid dēnique sēcessūs
voluptātēs regiōnisque abundantiam inoffēnsa trāsmitterēs.

Equidem etiam fortem tē nōn sine cūrā dēsiderārem; est enim
suspensum et anxium dē eō quem ārdentissimē diligās interdum
nihil scire: nunc vērō mē cum absentiae tum infirmitātis tuae ratiō
10 incertā et variā sollicitūdine exterret. Vereor omnia, imāginor
omnia, quaeque nātūrā metuentium est, ea maximē mihi quae
maximē abōminor fingō. Quō impēnsius rogō ut timōri meō
cotidiē singulis vel etiam binis epistulis cōsulās. Erō enim sēcūrior,
dum legō, statimque timēbō, cum lēgerō. Valē. (VI.4)